



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem Contagiosam Aliosqve Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Cap. XLVI. De S. Bernadino Senensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

## C A P. X L V I.

*De S. Bernardino Senensi.*

**S**Upradi&ę Sodalitates miraculosorum Cercorum ad Christianæ pietatis Sodalitatem à B. Bernardino erectam me deducunt, de qua ita in illius gestis: Sa- uiente illâ peste terribili & generali an. 1400. in quem incidit Iubilæus, innumeri peregrini Romam euntes at- que inde redeuntes ad celeberrimam illam toto orbe Christiano domum hospitalet B. Mariæ Virginis, quæ Senis est, & *De la Scala*, dicitur, confluxere. augebaturq; valde numerus egrorum è quibus plurimi moriebatur, ita vt tribus mēſibus & dimidio, quotidie amplius duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, interdū octodecim vel etiam viginti è vita decederent, præter quos ex eius domus familia obierūt fratres 22. femine 18. pauperibus mulieribus inferuientes, nouem Sacerdotes, quinq; Cle- rici, septem pharmacopolæ qui morbidis medicamenta parabāt, pueri triginta sex in ea domo enutriti, & famuli sexaginta ægrorum ministerijs deputati. Cùm autem tam multi & illic morbo correpti jacerent & è vita abi- rent, locus ille propter foetorem intolerabilem omnibus inspectantibus horrore erat, nec quisquam ferè reperiri potuit, qui quamuis magna proposita mercede ægrotan- tibus illic inferuire vellet, quòd nemo non pestis conta- gionem reformidaret. Rogabat ergo Dominum & Bea- tissimā Virginem domus illius conseruatricem, eiusdem gubernator Ioannes Landaronus vir optimus, multa be- neuolentia & caritate præditus, quique licet senio gra- uaretur non cessabat pro viribus præstare quidquid pos- set: rogabat inquam vt pauperibus ministri mitterentur.

Henric.  
Sedul. in  
vita San-  
cti ca. 10.  
11. & 12.

G g

Itaque



Itaq; pijsſſimus Deus excitat Bernardini animum, qui jam ferè vigefimum agebat ætatis annum, vt in illa pijsſſima domo agrorum & pauperum miniſteriũ ſuſcipiat. Ut enim vidit neceſſitatem, maximo incitatus zelo, peſtiferam contagionem nihil metuens, immò verò etiam vltro morti ſe offerre cupiens, modò poſſet Chriſto gratum exhibere in eius pauperibus ſeruitium, multis hebdomadibus agris illis accuratiſſimè & officioſiſſimè miniſtrauit. Cernens autem ad tantam morbidorum multitudinem ſufficere non poſſe tam paucos miniſtros, duodecim religioſos & pios adoleſcentes ad ſe vocat: hortatur illos velint vnà cum ipſo curare pauperes Chriſti. dicit eos qui pauperi ſeruiunt, ſeruire ipſi Chriſto. & ſi tali occasione excedant è vita, pro Chriſto eos mori. Nihil verò homini Chriſtiano debere eſſe antiquius quàm, Chriſti cauſa vitam ſuam profundere, cum ille ſuã noſtra cauſa profuderit. Deinde addit: Simus omnes fratres, Deus ſua ope aderit nobis. Videtis ignem accenſum eſſe: nam pænè orbis illo cõflagrat, ſecuris arbõri admota eſt, falx meſſem ſollicitat; quid nobis de vitæ noſtræ proro-gatione polliceri poſſumus? cùm & alios videamus quotidie mori & pleroſque etiam intimos ſodales prope-modũ antè exire è corpore quàm morbo correpti videantur. Nos ſi in his caritatis officijs obierimus, ad Dominũ euolabimus. Sin autem ſuperſtites manſerimus, quoad vi-turi ſumus ſemper lætabimur nos Deo noſtro in eius pauperibus hæc officia præſtitiffe, memores ſententiæ illius: Nullum opus bonum apud Deum ſuã carere mercede vel irremuneratum abire. Siue igitur viuamus, ſiue moriamur non poſſumus Deo ſeruiendo non lucrari. Hæ-tenus S. Bernardinus ad ſuos ſocios nondum ipſe tunc Ordini Seraphico initiatus. quæ quàm grauiter, quàm Chriſtianè ab homine ſeculari in cauſa pietatis dicta ſint,

nemo

Matt. 25.



nemo non verus Christianus aduertit. Nec in ventū verba dicta. persuasionibus istis allecti adolescentes, in eius sententiam mox omnes abiēre, cumque peccata sua (ō bonam præparationem!) salutari confessione expiaſſent, & sacro Eucharistiæ viatico se muniuiſſent, ita Bernardino consulente iucundis animis & magno feruore curā ægrorum cum duce Bernardino suscipiūt. Eius autem & sociorum feruor & charitas suo exemplo permultos alios ciues & adolescentes incitauit ac permouit ad seruiendū morbidis illis, licet non pauci ex eorum numero de vita abirent; quo non obstante, ipse caritate feruentissimus diu noctuque ægrotantibus assistebat, pharmaca parabat, cibos pro singulorum qualitate porrigebat, sordes omnes in illis necessariò ferendas ipse ante omnes sua voluntate amouendas suscipiebat. non labore, nō vigilijs, non intolerandis foetoribus, non incommodis vllis frangebatur, sed eā semper alacritate & spiritus viuacitate illis seruebat, ac si vel parentes, vel fratres aut filij eius fuissent. Neque id sanè mirum; Dei enim amor horū omnium faciendorum ac perpetiendorum præcipua ei erat ratio. Deo utique seruebat, qui patre, fratre, liberis omnibus potior nobis esse debet. Et ecce quatuor mensium spatio (haut dubium iram Dei meritis eius placantibus) atrox illa pestis penitus sopita est. Ardens profectò charitas & dignum vero Christiano opus, infirmis obsequiū impendere, quod vnum de septē misericordiæ operibus numeratur. Gallicanus martyr vir Consularis, triumphalibus infulis sublimatus & Constantini Magni si voluisset gener, omnibus relictis ad Ostia Tiberina secedens, hospitalitati & infirmorum seruitio totum se dedit. Placilla Theodosij Imp. vxor non tantum illorum attingebat ollas, & iuscula delibabat, sed & patellas admouebat, panē apponebat, ciborū frustra auferebat, pocula eluebat, aliaq;



Niceph.  
12 c. 42.  
I & Ioan.  
Nanc to.  
2. gener.  
23.

Venant.  
Fort. in  
vit. lib. 1.  
cap. 9.

Vide Ioã.  
Molan.  
de piet.  
cap. 6.  
& Sedul.  
in vita.

seruorum & ancillarum officia alacriter peragebat, inhibere conantibus dicere solita: Imperio quidem conuenit vt aurum id largiatur: ego verò manuum mearum opus pro imperio ipso, ei qui id semel contulit, offero: Rade-  
gundis regina Franciæ præter hæc iam dicta etiam leproforum vultus auidè osculabatur. Cumque ministra ei diceret: Domina quis te osculabitur quæ ita leprosos amplecteris? illa respondit beneuolè: Verè si me non osculeris, hinc mihi cura nulla est. Imitata est superioribus annis Imperatricem Placillam & Reginam Rade-  
gūdem, Serenissima Hispaniarum infanta Isabella, quæ an. 1622. post conflictum Flerucensem non inferiora vulneratis, & infirmis pietatis obsequia militibus in Xenodochijs Mechliniæ impedit sciebat pijsissima Princeps: *Quod vni ex meis minimis fecistis, mihi fecistis.* sed de obsequio peste infectis exhibendo postea latius. Obijt autè S. Berna. dinus in ciuitate Aquila 20. Maij anno 1444. ætatis 63. relatus inter sanctos à Nicolao Papa V. anno 1450. Pingitur cum tabula cui inscriptum est nomen JESU aureis literis expressum & radijs solaribus circumdatum, quam in concionibus suis populo exhibere solebat ad imprimendum cordibus audientium nomen illud millifluum & significatum eius. prohibuit quidem id ei Martinus V. veritus ne ex ea nouitate superstitiosum aliquid aut scādalosum in Ecclesia oriretur: verum re melius examinata & B. Iohanne Capistrano, qui ea de causa se Romam contulerat, multis argumentis eam defendente, rursum id ei permisit. Memorabile verò est quod Antonius Amicius refert, nempe Ludonicum Galliæ regem thecam argenteam S. Bernardino dedicasse anno 1481. in qua sacrum eius corpus conderetur, sed hanc ipsam sublatam scribit à Philiberto Chalonio Aurantio siue Orangiæ principe, prorege & duce Caroli V. Imperatoris, bello aduersus

Lo-



Lotrechium, militibus soluendis. Quam ob rem non ita multò pòst geminâ traiectus glande ab equis protritùs spoliatusque vix vt agnosceretur, inuentus est. Sed Aquilani postmodum Tutelari suo nouam reposuerunt 14 millibus aureorum.

## CAP. XLVII.

*Appendix præcedentis capituli de Venerabili  
Theodoro Monasteriensi.*

**N**on possum pro tam commoda oportunitate hîc intermittere, quæ de Ven. Theodoro Monasteriensi Franciscano ex speculo vitæ P. Cornelij Tielmanni narrat noster Dion. Mutzaert in Historia sua Belgica: Cum anno 1489. contagiosa lues omnes Pastores Bruxellæ absumpsisset, nec esset qui paruulis panem vitæ petentibus frangeret, religiosus hîc Pater Theodorus Ordinis Minorum, magno incitatus Christianæ caritatis zelo cum videret quotidie plurimos sine Sacramentorû administratione ex hac vita absumi, obsequium suum obtulit, licentiamque petiuit & obtinuit à superioribus quatenus peste infectis adfistere & Sacramenta administrare possêt. Ne verò Monasterium proprium inficeret, tentorium foro medio erexit in eoq; altare portatile collocauit reponendo Ven. Sacramento quo magis diu noctuq; ad omnem necessitatem esset paratus. tam suburbana loca omnia quàm vrbana visitabat diligentissimè, vt egrorum confessiones audiret & salutari viatico decedentes præmuniret. Contigit ministrû eius qui nolâ

Hist. suæ  
Eccles.  
Belg. an.  
1489.

&c